



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Vniversalis Historiæ Ecclesiasticæ Medvlla

Pareus, Daniel

Francofurti, 1633

Concilia, Sive Synodi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64973)

G O N C I L I A , S I V E
Synodi.

Bonifacius III. Romæ Synodum collegit anno Domini 607. ex Episcopis 62. iuxta Siegebertum. In ea Phocæ Imperatoris priuilegium de principatu Romanæ Ecclesiæ promulgatur, & confirmatur autoritate pontificia.

Octauo anno Imperii Phocæ, 13. Calend. Martii, Bonifacius IV. coegit Synodum Episcoporum Italiae; & de vita monachorum decreta fecit.

Anno Domini 610. iussu Regis Ariamiri, seu Gundemari (quem circa id tempus Gothis imperasse constat) conuenerunt Galliciae Episcopi, tam ex Bracarensi, quam ex Lucensi Concilio, cum suis metropolitanis: inter quos fuerunt præcipui, Martinus, Nitigis, Remisol, Andreas, Lucentius, Victimer, Sardinarius, Viator, Auila, Polemus, Mailoc. Martinus, Bracarensis Episcopus, Præsidem egit.

Circiter annum Domini 634. anno Imperii Heraclii 24. celebrata est Hispali Synodus. Causam præbuerunt hæreses Acephalorum, & quædam aliæ Episcoporum lites. Præfedit Sisenburius Rex.

Regnante Heracleona, in Hispania quartum Toletanum Concilium celebratur, anno tertio Regis Sisenandi; Domini vero 639. Occasionem præbuit diuersitas ceremoniarum, & disciplina Ecclesiastica & politica in Regno Hispaniæ. A Rege autem Sisenando conuocati Hispaniæ

uæ

niæ & Galliciaæ sacerdotes, circiter 70. & ultra, ad urbem Toletanam conuenerunt.

Anno primo Chintillæ, Regis Gothorum, quinta Toleti Synodus celebrata est, imperante Heracleone.

Pyrrhus Constantinopoli expulsus, in Africam ad Maximum venit, ac cum eo contulit de quæstione; vnane an plures in Christo asserendæ sint voluntates: à Maximo autem victus & persuasus, Romam ad Theodorum abit, eique libellum de sua sententia offert, in quo duas in Christo naturas, & duas voluntates & operationes assererat. Theodorus eum, vt recte sentientem, in communionem admittit. Ille vero Roma discedens, cum Rauennam venisset, redit ad ingenium, & errorem suum defendit. Ea re cognita Theodorus sacerdotes Romanos & Ecclesiam conuocat, & Pyrrhum denunciaturus, & ab officio remotum, scriptis literis atramento madefacto vino ex calice diuino.

Narrat Paulus Diaconus libro 18. rerum Romanarum, in Africa penes Byzantium, Numidiam, & Mauritaniam, in Synodos Episcopos diuersos coisse, & de mora controuersia, an duæ voluntates & actiones in Christo sint statuendæ, an vero vna tantum, disceptasse, & opinionem Monotheletarum damnasse.

Anno Domini 652. Imperii Constantis nono, Martinus Pontifex Synodū Romæ celebrauit.

L. 6.

Occa-

Occasionem præbuit primo paulus Constanti-
nopleos Episcopus, qui suorum antecessorum
opinionem de vna in Christo voluntate nõ mo-
do approbabat, sed etiam defendebat, & alios in
errorem inducebat, & à se dissentientes perse-
quebatur & deinde edictum Constantini Impe-
ratoris, quo nec vnam nec duas in Christo vo-
luntates aut operationes docebat, sed simplici-
ter silentium, & communem loquendi formam
imperauerat. Conuenerunt itaque à Martino
vocati Romam, Episcopi 105. prolixum foret,
actiones eius Synodi singulas, & symbolũ quod
admodum prolixum est, cæteraque huc adscri-
bere.

Hispani Episcopi, Constantis, Heraclii ne-
potis, persecutione moti, in Synodum cocunt,
& Monotheletarum heresim damnant, anno no-
no Constantis.

Anno Domini 673. celebrata est Herudfor-
diana Synodus, cuius acta apud Bedam lib. 4. c.
3. referuntur; & nihil aliud, quam disciplinam
monasticam attinentia, deq; pascharis festo, de
Synodis & coniugio, continent.

Anno Domini 664. celebratur Synodus in
monasterio pharenfi. Causam præbebat contro-
uersia de paschæ obseruatione, & tonsura cleri-
cum, & aliis pōtificiis ceremoniis, à quibus Scoti
abhorrebāt; quos eam ob causam Britanni, cha-
racteribus papisticis insigniti, oderant & dam-
nabant. Synodo præfedit Osuius Rex, qui & ipse
deditus erat patri Scotorum, & Alchfridus fili⁹,
qui sennebat cum Anglis. Interpretem egit vtri-
usque

usque partis in Concilio Cedda. Sed post multam contentionem inter duos præcipuos, Colmannum Lindisfarnensem Episcopum, & Wilfridum Abbatem, lite non composita tandem discessum est.

Anno tertio Chintillæ, Domini vero 653. sexta Toletana Synodus celebrata est. Conuenerunt 52. Episcopi. Occasionem præbuerunt quidam erronei Spiritus, qui hæreses resuscitabant, & priorum Conciliorum acta in dubium vocabant, ad quos reprimendos in hoc congressu omnes priorum Conciliorum constitutiones sunt confirmatæ, & multæ de nouo additæ.

Anno sexto Chindasuwindi, Domini vero 662. celebratum est septimum Toletanum Concilium. Occasionem præbuit Theodiscus, homo Græcus, Archiepiscopus Hispalensis. Is enim corruerat libros Isidori, & multos errores sparserat in sua Ecclesia, & litigabat cum Toletano Episcopo de principatu. Conuenerunt autem iussu Regis 4. Archiepiscopi, & 30. Episcopi, cum aliis compluribus sacerdotibus. In eo Theodiscus damnatus, & ab officio deiectus est, dignitasque Archiepiscopalis Toletum translata, designato Eugenio Archiepiscopo.

Iussu Clodouei, Regis Francorum, Cabillonem conuenerunt Episcopi Gallicani circiter 44. quibus præsedit Gandericus Lugdunensis, & Landelenus Viennensis. Theodorum Arelatensem, pœnitentiam professum, & compa-

rere detrectantem, iusserunt ab officio abstinere.

Paullo ante inchoationem Sextæ Vniuersalis Constantinopolitanæ Synodi, Agatho Romæ coegit conuentum Episcoporum Occidentalium & Septentrionalium; nimirum Italarum, Gallorum, Longobardorum, Francorum, Gothorum, Britannorum, Slauorum. Occasionem autem præbuit Constantinus Pogonatus Imp. qui in literis suis ad Donum Pontificem postulauerat, vt coacta Synodo Episcoporum sub se existentium, de controuersia illa, de voluntatibus & operationibus Christi, an vna vel duæ recte asserantur, sententiam ferat, & legatos istius Synodi circiter 12. metropolitas Constantinopolin ad Synodum mittat, qui eam sententiam scriptam asserant, & Synodo interfint. Conuenerunt autem 125. Episcopi: qui facta collatione decreuerunt, duas voluntates & operationes in Christo recte asseri, iuxta verbum Dei, & quinque Conciliorum, & Patrum sententiam; Confirmarunt etiam decreta Synodi à Martino celebratæ: & Theodorum Faranitanum, Cyrum Alexandrinum, Sergium, Pyrrhum, Paulum Constantinopolitanos, damnarunt. Et hanc suam sententiam ad Imperatorem Constantinum perscripserunt.

Anno quinto Recesuinthi, Regis Gothorum, qui fuit Domini 617. Constantini Pogonati secundus, Toleti indicta & habita est Synodus Octaua. Conuenerunt autem Pontifices numero 52. aliquot abbates, & legati Episcoporum.

scoporum absentium; Rex ipse Recesvinthus, & viri illustres non pauci.

Anno septimo Recesvinthi, Domini vero 673. iterum iussu Regis sedecim Episcopi Toletum conuenerunt, & 17. capitula, quæ in prisca canonibus extabant, promulgarunt obseruanda, quæ quidem nullam partem doctrinæ cœlestis, sed humanas solummodo traditiones de monasteriorum, paræciarum, episcoparumque gubernatione continent, aliaque his similia.

Anno octauo Recesvinthi, iterum conuenerunt Toleti Episcopi 21. inter quos præcipuus fuit Eugenius.

Cum circiter annos 12. in Hispaniis nullâ esset habita Synodus, & passim in Africa grassarentur hæreses, Bamba Rex Toletum ex Carthaginensium prouincia Episcopos conuocauit. Conuenerunt Episcopi circiter 19. & abbates septem. Præfedit Quiricus, Toleti Episcopus.

Anno quarto Bambæ, ad Bracarensem Synodum III. conuenerunt 10. Episcopi, & pro fidei consensu repetierunt Concilium Nicænum.

Anno Christi 680. Constantinus Pogonatus Imp. coegit aliud Concilium Constantinopoli, propter Monotheletas. Vocatur hæc Synodus vniuersalis sexta. Conuenerunt Episcopi 289. & inter hos etiam legati Pontificis Romani, qui Concilio præfuerunt, vna cum Patriarcha

cha Constantinopolitano Georgio, & Macario Antiocheno, quorum vterque partes Monothetarum securus est. Assedit in eodem ipse etiam Imperator Constantinus, hortatusque est Episcopos, ut diligenter veritatem inquirerent, & semotis argutis, ambagibus, & sophismatibus, totis animis ad pacem concordiamque spectarent. Hic omnium mentes atque sententiae eodem inclinarunt, & recte Monothetarum execranda hæresis damnata est. Simul etiam acta atque decreta superiorum Synodorum generalium comprobata atque confirmata sunt.

Anno Christi 753. aliud Concilium Constantinopoli coactum est à Constantino Copronymo Imp. cui Patres 338. interfuerunt. In hoc imagines in templis, earumque defensores damnati sunt.

Anno Christi 768. Romæ Concilium à Stephano, Papa conuocatum est: in quo contra Concilii Constantinopolitani decreta statutum est, imagines in templis esse retinendas & venerandas.

Anno Christi 787. à Constantino & Irene matre eius indictum fuit Concilium Nicænum secundum, quod vocatur œcumenicum septimum, in quo Episcopi dicuntur fuisse 350. & Imp. ipse interfuit. Repetuit hoc Concilium Confessionem superiorum Synodorum, & damnauit *εικονομαχίας*.

IMPE-